



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Veniat tandem regnum amoris et pacis!

Cuius pueri cor non salit¹ gaudio, cum dies festus Christianorum laetissimus appropinquat? Pueri cogitant illi quidem nunc maxime dona, quae sint a parentibus accepturi, propterea quod per res corporeas² magis tum amorem parentium sentiunt. Merito hoc die tota natura amore impleta esse videtur, vel saltem videri oportet. Deus enim, cum Filium suum in terram misit homines redempturum, hunc diem quasi amori pacique consecratum esse voluit. Profecto ita fuit per complura saecula, cum maiores nostri praediti pietate sensus suos³ alteri magis aperiebant et pacem esse inter se volebant. Etiam milites hoc die pugnam intermittebant.



At hodie quid videmus? Num pax et amor inter homines viget?⁴ Frustra angeli de caelo descendisse pastoribusque cecinisse videntur: «Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.» Namque omnes fere toto orbe terrarum nationes sedulo se armant, quo maiora aliis afferant incommoda. Praepotentes, qui legibus moralibus se non obligatos esse existimant, nihil intentatum relinquunt,⁵ quo maiores sibi divitias acquirant, nil curantes, quot homines hoc modo pessumeant⁶ augeantque numerum pauperum, qui esurientes et dentibus frendentes⁷ tem-

¹ dobog ² anyagi
³ szívüket ⁴ uralkodik
⁵ mindent megpróbál
⁶ tönkre megy ⁷ fogcsikorgatva.

pori insidiantur, ut suos oppressores ulcisci possint. Itaque non mirum, si deficit amor et religio in animis pauperum, qui tamen illo tempore libentes Iesum secuti eiusque doctrinam amplexi sint. Sacerdotes frustra contra hanc inclementiam vocem attollunt, frustra et maximam iniuriam demonstrant et iram Dei miniuntur, neque divites neque pauperes audiunt: illi quidem propter animi duritiam et infidelitatem, hi ob iracundiam fame atque odio excitatam. Qui enim esurit, sanam rationem contemnens eo convertit animum, ubi homines bonis abundant.

Ne iactemus⁸ amorem et pacem, cum interea duro animo miseriam hominum aspiciamus et ex aliorum paupertate divitias nobis conquirimus. Profecto etiam angeli, qui duobus ante milibus annorum pacem praedicarunt, hoc die non gaudent, sed plorant, propterea quod hodie pauci sunt homines benevoli, amor ex animis praemortuus est, odium atque invidia ubique dominantur. Quando haec in melius mutabuntur? Quando veniet tempus, cum homines odio reposito inter se pacificati in mutuo amore coalescent?⁹ Ideo Deum hoc die precemur, ut regnum amoris et pacis veniat. *Valentinus Fehér.*

⁸ hangoztat ⁹ összenő.

NUNTIUS ANGELICUS.

Nox tranquilla fuit caeloque corusca sereno
Milia stellarum claro fulgore nitebant.
Vasta¹ tenent latam tacitamque silentia terram,
Pax animis hominum placidis viget² alma piorum.
Dormierant homines, carpebat³ bestia somnum;³
Soli pastores gregis in prato vigilabant.
Dum timidae pecudes densae recubant in aperta
Saepe,⁴ suae pellis contactu membra foventes:⁵
Custodes circum sarmenta⁶ ardentia muti
In terra resident tacitoque crepantia⁷ vultu
Eremia⁸ iam spectant, iam sidera clara tuentur.
Pastorum senior canis⁹ longisque capillis

Recluso tandem sociis sic ore locutus:
«Quo mage¹⁰ rem meditor, video iam mente futurum
Clarius in tempus, res cum Iudaeica vertet
In melius; nam quem nostri cecinere prophetae,
Nunc mittendus erit, Iudae cum stirpe remota
Herodes solio sedet advena rex in avito.
Messias aderit, dico, mox, ipse Redemptor,¹¹
Quem Deus immersum vitiis emittet in orbem,
Ut mala contundat recludatque ostia caeli.»


Vix ea fatus erat, subito cum lumine claro
Lucescunt tenebrae regioque nitore refulget.
Attoniti surgunt pastores corde paventi
Miranturque novam speciem et vox faucibus haeret.
Cum cantus suavis caelo clarescit¹² ab alto
Angelicumque citis agmen delabitur alis
Et canit ante viros stupidos sic voce sonora:
«Gloria sit Divo caelorum maxima Patri,
Pace fruatur homo dulci bonus omne per aevum.¹³
Credite, pastores, ferimus quae gaudia vobis
Et toti populo: Salvator noctis in umbra
Editus in lucem¹⁴ Christus, Davidis in urbe.
Ite cito, puerum tenui reperitis in antro;
Pro cunis¹⁵ misero in praesepti¹⁶ stratus, iniqui
Namque homines animo Dominum repulere te-
Haec fati revolant alis super astra citatis, [naci.»¹⁷
Paulatimque nitor puras discedit in auras.

Credunt pastores; unus sic ore locutus:
«Est mirum, fratres, nobis quod desuper agmen
Nuntiat angelicum. Dico, pergamus in urbem
Infantemque loco¹⁸ propriis tueamur ocellis.»
Rustica continuo laeti, quae dona parata,
Colligere accelerant¹⁹ pecudes pueroque relicto
Ingrediuntur iter brevius celeresque notata²⁰
Passibus antra petunt rapidis genibusque²¹ reperti
Ante pedes pueri flexis²¹ sua munera monstrant
Infantisque novi secretum numen adorant.

Valentinus Fehér.

¹ mély ² uralkodik ³ alszik ⁴ karám ⁵ melenget
⁶ rözse ⁷ pattogó ⁸ száraz gallyak ⁹ ősz ¹⁰ = magis
¹¹ Megváltó ¹² hangzik ¹³ mindig ¹⁴ megszületett
¹⁵ bölcső ¹⁶ jászol ¹⁷ kemény ¹⁸ helyben ¹⁹ sietve
²⁰ összeszed ²¹ jelzett ²¹ térdre borulva.

Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis. Is est amicus, qui in re dubia re iuvat, ubi re est opus.



LECTARIUS MINIMIS.

Ex fabulis Andreae Fáy.

1. Anas et ciconia.

Venatorem iuvenem ciconia trepida formidine fugitabat. Cui anas e luco: «Quid times — inquit — pium animal? Caro tua ingustabilis¹ est; pennas venator pro nihilo ducit.² Tu modo, si quem habes, depone timorem!»

Ciconia: «Ne tranquilles, quaeso — inquit — angorem³ meum anxium. Venatori iuveni in mentem venire potest tentare,⁴ quid arma sua in me possint valere. Et contra petulantiam,⁵ inscitiam malitiamque



scelestam, mihi crede, nihil prodest animi tranquillitas».

2. Prunus⁶ et vermes.⁷

Annosam⁸ prunus vermes iam magna ex parte eroserant⁹ foliisque denudaverant. «Omittite iam bracchia mea et sinite¹⁰ hanc¹⁰ animam!»¹⁰ flebat arbor misera. Ii tamen pediculis osculisque premere ac rodere matrem non desierunt, etiam dixerunt se non prius illam esse relicturos, quam

omnia defecissent¹¹ folia. Simulque indignantes obiecerunt¹² ei: «Itane nos matercula, filios amas misellos, ut folia plane



nobis deneges?» Tunc prunus: «Matrem me vobis esse — inquit — haud negaverim, sed ne vos quidem obliviscimini, quanta cura et amore sim egomet ipsa invicem a vobis tractanda».

O patria, genitrix atque altrix nostra, quam multis dixeris liberis tuis eadem, quae prunus vermes suos monuit!

E. Forró

¹ élvezhetetlen ² semmire sem értékel ³ nyugtalanlás ⁴ megpróbál ⁵ vásottság ⁶ szilvafa ⁷ hernyó ⁸ vén ⁹ megrág ¹⁰ hagyjátok meg életemet! ¹¹ elfogy ¹² szemére vet.

Laus Sanctae Elisabeth.

Gaude felix Hungaria,
Gaude de Christi munere,
Laudes in voce varia
Corde promas et opere!¹

Laeta stupet Thuringia
Fractis naturae legibus,
Dum per Sanctae suffragia
Miranda fiunt saeculis.²

¹ Zengj különböző nyelveken szívvel, tettel dicséretet ² a Szentnek kérésére századokra szóló csodák történeke.

Sancta Elisabeth.

Mense Novembri ubique in patria pietate et religionis sanctitate celebrabatur laus ac nomen Sanctae Elisabeth, filiae Andreae, regis nostri hoc nomine secundi.

Generosa et gloriosa Arpadi domus — dum vigebat — certe prole felicissima virorum et mulierum ditavit patriam, ex qua reges fortissimi eidemque sapientissimi et religiosissimi provenerunt, qui subiectis parcentes debellantesque superbos patriae hostes Hungariam beatam firmamque reddiderunt.

Ex hac prole est nata filia Andreae II., postea uxor Ludovici, Landgraffi¹ Thuringici :² Elisabeth, una certe, quae, si sanctitatem vitae cernas, quam maxime super ceteras, sui saeculi mulieres animi magnitudine excellebat.

Regia proles Posenii, in «Domo Regia» lucem aspexit, baptizata est³ autem in sacello⁴ Sancti Petri in pagulo, ubi olim



oppidum Romanum : Aquincum erat situm. Nominis eius gloriam etiam aedes⁵ cathedralis⁵ Cassoviensis⁶ servavit et servabit in posterum, nuncupata de nomine eius sancto aedificataque iam septingentis annis ante, in qua aede imagines 12 ab artifice quodam, imitatore Wohlgemuthi, clarissimi pingendi⁷ artificis,⁷ coloribus reddita praecipua aliquot momenta⁸ ex vita Sanctae Elisabeth ostendunt. Ibidem in templo servatur aliquantula pars sanctarum eius reliquiarum pietate religiosissima.

Memoriam autem Sanctae Nostrae grato memorique corde recolentibus nobis obversetur⁹ oportet animo⁹ integra illa Hungaria, temporibus Sanctae Elisabeth

tam beata, quae omnes suos filios, fraterno amore inter se coniunctos toto corpore ac feliciter est complexata...

¹ tartományi gróf ² thüringiai ³ megkeresztel
⁴ kápolna ⁵ dóm ⁶ Kassa ⁷ festőművész ⁸ mozzanat ⁹ szem előtt lebeg.

VIRI ILLUSTRÉS

Cato Uticensis.

(95—46. a. Chr. n.)

Scriptis Sebastianus A. Módyly.

Inter viros Romanos, qui aequo¹ emori animo, quam excidio² superesse³ liberae reipublicae malebant, robore animi constantissimo eminet instar⁴ montis M. Cato Uticensis, pronepos⁵ Catonis Maioris, cuius verba: «*Ceterum censeo Carthaginem esse delendam*» in proverbium venisse satis constat. In domo Livii Drusi, avunculi⁶ sui educatus iam puer invictum animi robur nec non insignia documenta amoris erga publi-


cam libertatem ediderat: a Quinto Popedio enim Latinorum principe rogatus, ut Latinos in civitate impetranda⁷ apud avunculum, qui tunc temporis tribunus plebis erat, adiuvaret, id se non facturum principi respondit sine mora. Iterum atque iterum a Popedio rogatus in proposito⁸ suo firmissime permansit. Tunc princeps Latinorum in summam aedium partem puerum secum trahens abiecturum se eum inde in profundum, nisi precibus obtemperaret,⁹ minatus est. Non est mirum, si Popedium tunc exclamasse ferunt: «*Gratulemur nobis Latini et socii, quod hic tam parvus est; quo consule ne sperare quidem nobis civitatem licuerit!*»

¹ egykedvű ² pusztulás ³ túlél ⁴ mint, -ként ⁵ másodunoka ⁶ nagybátya ⁷ elér ⁸ elhatározás ⁹ enged.


Eodem tempore Sullam Romae rerum potitum esse notum est. Ad quem cum salutandi gratia, uti mos erat, venisset Cato vidissetque ibidem capita proscriptorum, crudelitate dictatoris offensus¹⁰ paedagogum suum interrogavit, quid homines a tyranno interficiendo retineret. Cum paedagogus non voluntatem hominibus deesse respondit, sed Sullam propter militum praesidium esse inaccessum,¹¹ illico ut ferrum sibi daret, obsecravit, perfacile se formidolosum¹² dictatorem interfectorum affirmans, quia in lecto illius considere soleret. Paedagogus pueri consilio perterritus eum postea ad Sullam excussum¹³ semper adduxit.

Similes ac Cato mentes sensusque habebat etiam puer ille Romanus, Fausti, Sullae filii condiscipulus, qui Faustum in schola paternam proscriptionem laudantem ipsumque iam virum idem facturum minitantem colapho¹⁴ percussit.¹⁴ (*Ad numerum proximum.*)

¹⁰ felbőszül ¹¹ hozzá nem férhető, elérhetetlen ¹² retentetes ¹³ alaposan megmotoz ¹⁴ arcul üt.



De Sancto Nicolao.



Sanctus Nicolaus hoc quoque mense die¹ suo onomastico,¹ qui est Nonis Decembribus, munuscula sua vobis, carissimi discipuli, benigne² largitus

est.² Nam bonos pueros bonasque puellas non frustratur³ Nicolaus: calceos⁴ vacuos, sed nimia cura nitefactos⁵ positosque eos in fenestra variis dulcedinibus, vobis tam iucundis replet.

Sed quotusquisque parvulorum est, qui

nesciat bonos suos parentes vice⁶ Sancti Nicolai illa nocte fungi? Ita que nuces, fici malaque⁷ tam dulcia, redolentia⁸ ac rotunda⁹ non e pera¹⁰ Nicolai in calceos vestros cadunt: haec munuscula parentes vobis praebent.

Sed quis ille Sanctus sit, accipite paucis. Episcopus Mirensis: Nicolaus (vixit tertio post Christum saeculo) ubique olim apud populos orientales occidentalesque Europae propter benefacta sua magnifica gratiosissimus erat, sicuti templa sacellaque in honorem eius aedificata eique dicata¹¹ hoc testantur.¹² Hic cum multos beneficiis afficeret amplis plurimisque saluti esset, quondam familiae cuidam onnium rerum inopia¹³ pressae¹³ per fenestram tabernae¹⁴ apertam tantam vim pecuniae in cubiculum iniecit, ut tota familia exin e miseriis se emergere¹⁵ potuerit. In cuius beneficii Nicolai episcopi memoriam parentes etiam nunc liberos munusculis suis donant.

Nicolaus post mortem propter vitae sanctitatem in Sanctorum relatus est numerum.¹⁶ Cineres eius Barii,¹⁷ in oppido Italiae servantur.

*

Anxia cum cura inquiruntur nostra aetate, in affluenti scientiarum variarum copia elementa adhuc ignota rudis¹⁸ illius indigestaeque¹⁹ molis orbis terrarum, longo²⁰ temporis²⁰ intervallo²⁰ tandem in ordinem quandam redactae,²¹ sedatis scilicet maribus atque Oceanis montiumque ignibus, — etiamsi «somniculosi»²² illi ignivomi²³ parva quadam motione sua montes, colles, casas, turres, immane quantum pervastant. — Namque *Auburni*, in urbe Alabamane civitatis Americae Septentrionalis, ut nuntium accipimus, rector Instituti Polytechnici: *Alfredus Allison* elementum novum invenit eique nomen «halogeno» indidit. Hoc elementum solidum sit aequae ac illud, vulgo iodum nominatum.

¹ névnap ² bőkezűen ad ³ rászéd ⁴ cipő ⁵ kifényesített ⁶ vkinek dolgát elvégzi, képviseli ⁷ alma ⁸ illatos ⁹ kerek ¹⁰ tarisznya ¹¹ szentelt ¹² bizonyít ¹³ szűkölködő ¹⁴ vískó ¹⁵ kivergődik ¹⁶ szentté avat ¹⁷ Bari ¹⁸ nyers ¹⁹ rendezetlen ²⁰ hosszú idő múltán ²¹ vmilyen állapotba hoz ²² aluszékony ²³ tűzhányó

Inclyti inventores. (3.)

Brevissima artis aëronauticae historia.

Scriptis Aemilius Láng.

Inventor celeberrimus perfectissimae aëronavis rigidi typi fuit *Ferdinandus e comitibus Zeppelin*. Anno MDCCCXXXVIII. Constantiae¹ ad lacum² Brigantinum² natus est. Patrem habebat Germanum, sed mater eius ex Gallia originem duxit. Virtutes duarum nationum magnarum in eo feliciter mixtae erant: virilis perseverantia ac constantia Germanica cum acumine ingenii Gallici. Aetatem puerilem unā cum fratribus in variis ludis gymnasticis exercere, cursu cum aequalibus certare,⁴ pilā ludere, cymbam⁵ remis agere, natare, supra lacum glacie⁶ duratum⁶ soleis⁷ ferratis⁷ cursitare, gladio hebeti⁸ pugnare, equitare, pedibus⁹ excurrere,⁹ montes scandere. Pater rationem¹⁰ excursionum¹⁰ semper reposcebat¹⁰ a filiis, qui omnia, quae experta fuerant, scriptis¹¹ mandarunt.¹¹ Itaque Zeppelin iam inde a puero omnia acerrime animadvertere et observare assuevit. Praeterea puer decem vel duodecim annos natus sollers¹² hortulanus,¹² bibliopagus¹⁴ et lignarius¹⁵ fuit et promptus in rebus excogitandis aequae ac gerendis iuvenis adolevit.

Studiis absolutis miles factus est. Anno MDCCCLXI. missionem¹⁶ rogavit¹⁶ et in America Septemtrionali bello civili¹⁷ propter servilem¹⁸ quam vocant quaestionem¹⁸ exorto intererat. A¹⁹ parte¹⁹ Abrahamae Lincolnii stabat et pro servis in²⁰ libertatem²⁰ vindicandis²⁰ fortiter²¹ rem²¹ gerebat.²¹ Tunc primum ex sua ipsius experientia videbat, quanto usui essent aëronaves rei militari. Semel et ipse aëronavem conscendit speculandi causa in altum evectam et fune vinctam, quae ni fallor, in universum *ballon captif* nuncupatur.

Bello civili confecto anno MDCCCLXV. in patriam rediit et sequenti anno ab²² Austria-

cis²² pugnabat contra Borussos²³ et quattuor annis post cum Borussis adversus Francogallos. In utroque bello audacissimum militem se praestabat et plurimis insignibus virtutis decoratus est. Cum Parisiani ab Borussis obsidione cincti in summo discrimine essent, omnisque exitus eis intercluderetur, plurimi incolarum aëronavibus ex urbe profecti supra capita Germanorum transvolarent, ut copias ad urbem ex²⁴ obsidione²⁴ eximendam²⁴ pararent. Aëronautae et columbas²⁵ internuntias²⁵ secum tulerunt, ut litteris pedibus earum annexis Parisianos de rebus extra urbem obsessam factis certiores redderent. Ex sexaginta quinque aëronavibus circiter quinquaginta eo, quo voluerunt, pervenerunt. Cum Zeppelin aëronaves in²⁶ dies²⁶ ex urbe obsidione cincta evolantes observaret, iam tunc imaginem aëronavis regibilis mente concepit, quam ad²⁷ effectum²⁷ tamen postea



multis annis volventibus perducere²⁷ coepit.

Reliqua deinceps persequemur.

¹ Konstanz ² Bódeni-tó ³ testedző ⁴ versenyt fut
⁵ csónak ⁶ befagyott ⁷ koresolya ⁸ tompa ⁹ gyalogkirándulást
¹⁰ a kirándulásokat számon kéri
¹¹ írásba foglal ¹² ügyes ¹³ kertész ¹⁴ könyvkötő
¹⁵ famunkás (asztalos, ác) ¹⁶ szabadságoltatta magát
¹⁷ 1861—1865 ¹⁸ rabszolgakérdés ¹⁹ pártján
²⁰ fölszabadít ²¹ vitézül harcol ²² az osztrákok oldalán
²³ porosz ²⁴ az ostromzár alól fölment
²⁵ póstagalamb ²⁶ naponként ²⁷ megvalósít.


Corona vitae. (4.)

Ad fabulam *Felicis Nabor* Latine scripsit
Valentinus Fehér.

4. In pago¹ Bethania.

Longo difficillimoque itinere confecto Bethaniam pervenerunt, qui pagus haud procul ab urbe in clivo situs erat. In introitu pagi puteus² erat, ex quo duae feminae urceis³ impletis domum redibant. Cum vero Marcum vulneratum, quem duo servi adminiculabantur, conspexissent, ad eum aggressae

¹ falu ² kút ³ korsó.



quaesierunt, quid eis accidisset. Rubina nar-
ravit se a latronibus impetu⁴ lacessitos⁴ esse
et hospitium⁵ quaerere.

— In domo nostra — ait una femina —
locus est tibi tuoque patri. Quaeso vos, ut
me sequamini.

Marcus Fulvius grato⁶ animo⁶ accepit in-
vitationem.⁷ Uni feminae nomen erat Marthae,
alteri Mariae. Frater earum, Lazarus morbo
gravissimo laborabat.⁸ Maria eum fovebat,
Martha apud hospites operam⁹ navabat.⁹

Marcus et Rubina, qui diu in domo hospi-
tali¹⁰ manebant, sorores adamarunt. Martha
impigra¹¹ ministrabat hospitibus, cum inter-
ea Maria paene continenter ad lectum fra-
tris sedebat, qui dolores acerbissimos sine
querela patiebatur.

Marcus fortitudinem sororum admirans
interrogavit:

— Cur haec beneficia praestatis¹² nobis
peregrinis?

— Tu nescire videris — ait Martha —
nos esse discipulas Magistri divini, qui di-
cit: «Dilige proximum, sicut te ipsum.» Cum
Bethaniam venit, ad nos devertitur,¹³ nos
autem ad pedes eius sedentes praecepta eius
audimus et secundum ea vivere studemus.

Paulo post Lazarus mortuus est. Maria
sic precata est: «Pater noster, qui es in cae-
lis, sanctificetur nomen tuum, adveniat re-
gnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in caelo,
et in terra».

Marcus intravit in cubiculum,¹⁴ ubi Laza-
rus mortuus iacebat. Sorores apud eum ge-
nibus nixae¹⁵ flebant. Quo dolore commo-
tus Marcus corpus¹⁶ poplitibus¹⁶ excepit.¹⁶

Martha prima, ut erat animo firmior, ad
se rediit.

— Quid prodest — inquit — quiratio¹⁷
«Oremus pro fratre nostro. Pater noster, qui
es in caelis.»

Maria et Marcus verba eius subsequuntur.¹⁸
Deinde Marcus, cuius animum pax et tran-
quillitas invaserat, interrogat:

— Quis docuit vos has preces mirabiles,
quibus nil simile in orbe terrarum invenia-
tur?

— Magister docuit — ait Maria.

Postea Lazarus sepultus est. Sepulcrum,
quod in saxo excavatum erat,¹⁹ magno
lapide clausum est.

Sorores cottidie vespere exhibant ad se-
pulcrum, ut precarentur et dolorem in la-
crimas²⁰ effunderent.²⁰

Quinto die subito fama in pago perce-
bruit²¹ Magistrum adesse. Omnes concurre-
runt. Marcus quoque, cuius caput etiam tum
illigatum erat, in publicum²² egressus est
cum Rubina. Homines ad sepulcrum Lazari
properabant.

Marcus inter sorores plorantes²³ virum

aspexit longa veste indutum; facies eius erat
pulchra et mitis. Senex Iudaeus, qui apud
Marcum stabat, digito eum monstrat.

— Ille est — inquit suppressa²⁴ voce —
Iesus Nazarenus, magnus propheta.

— Amovete lapidem — imperat Iesus ho-
minibus et ad sepulcrum aggreditur.

— Domine — ait Maria, — quartum iam
diem cubat in sepulcro.

— Edixin tibi — inquit Iesus, — te, si
credidisses, visuram esse gloriam Dei?

Dein sic precatur:

— Gratias ago tibi, Pater, quod me exau-
disti.

Ad sepulcrum aggressus magna voce cla-
mat:

— Exi Lazare!

Oculi omnium ad sepulcrum conversi sunt;
omnes intercluso²⁵ spiritu²⁵ stupent. Ecce
mortuus se levat atque egreditur e sepulcro.

— Solvite eum — ait Iesus.

Dein Lazarus passis²⁶ manibus exclamavit:
— Mi Domine!

Magnus circa tundor²⁷ faucium²⁷ auditur.
Iesus cum Lazaro et sororibus eius in
pagum revertit.

Marcus maxime commotus secum inter-
rogat:

— Quis fuit ille vir, qui etiam morti im-
peret? Ex quo vivo, nondum vidi tale mira-
culum.

Cum Marcus plane convaluisset,²⁸ iter in-
gredi parabat. Donum, quod sororibus dare
voluit, repudiatum est.²⁹ Itaque pro curatione³⁰
et hospitio gratiis actis cum Rubina profec-
tus est.

Rubina nunquam amplius de Vitellio loque-
batur; omnibus viribus studebat, ut casta
maneret.

Marcus quoque mutatus erat. Propriis ocu-
lis viderat virum, qui propheta a plebe ap-
pellabatur. Vir ille, qui Lazarum suscita-
verat e mortuis, tam augustus, tam mirabilis
apparebat, qualem nunquam hominem ullum
antea vidisset. Sed illumne esse profecto³¹
deum, quem ipse quaereret?

— Aliter eum — reputat secum — finxi³²
animo:³² regem arbitrabar fore potentem,
qui universis hominibus imperet. Is vero
fabri³³ tignarii³³ filius est. Ubi est veritas?

Animo aestuanti³⁴ Hierosolyma petebat;
ibi enim Iesum a se reperitum iri sperabat.

4 megtamad 5 szállás 6 hátásan 7 meghívás
8 sínylódik 9 zörgoskodik 10 vendégszerető 11 serény
12 tesz, nyújt 13 betér 14 szoba 15 térdelve 16 letér-
del 17 siránkozás 18 utánamond 19 kiváj 20 kísér
21 elterjed 22 utcára 23 síró 24 halk 25 visszafajtott
lélekzettel 26 kitért 27 zokogás 28 meggyőz 29
29 visszautasít 30 ápolás 31 valóban 32 elképzelt
33 ácsmester 34 háborgó.

Docto et erudito homini vivere est cogitare.



Iocosa.

Ludi magister: Mementote, pueri, in Africa decies tanto ampliores quam Germaniam esse terras, ubi pueri¹ atque puellae¹ nigro¹ colore¹ calceis careant. Proinde colligite et compescite² sedulo nummulos! At scitisne, quo consilio aut quem in usum?

— Ut quam primum in Africam proficiscamur! — conclamavit tota puerorum classis.

*

Laura parvula cum inter cenam cultrum apprehendere vellet, «abstine» — inquit mater — «manum a cultro, tu es quidem admodum parvula». — Vesperi Laura in lectulo iacens cum pollicem³ in os insereret, «pudetne» — inquit mater — «id⁴ aetatis⁴ puellam pollicem lingere?»⁵ — Laura matri lacrimans: «Tu me modo parvulam, modo grandiusculam⁶ dicis, enimvero⁷ tute ipsa meam aetatem non satis nosse videris».

(Car. Ács.)

¹ néger fiúk és leányok ² megtakarít ³ hüvelykujj
⁴ ilyen nagy ⁵ szopogat ⁶ nagyobbacska ⁷ bizony.

AENIGMATA.

I.

Sub arbore palmae duo Aethiopes sedent. Minor filius est maioris, maior non est pater minoris. Quisnam igitur est maior?

Ginsii.

Tiburtius Rachl
disc. V. cl. gymn. realis.

II.

Singuli numeri in litteras sunt transmūtandi. Itaque describenda est series numerorum 1—56, singulis autem numeris subscribendae sunt notae litterarum, quas verbis, quae sequuntur, rite solutis reperies. Litterae in verba collectae *dicta reddent Iovis*, quibus pater hominum ac deorum natum suum: Herculem (in Aeneide Vergilii) adfatus est.

28, 30, 42, 8, 3, 1 = Troianae gentis gloria; pater Numitoris et Amulii. 5, 10, 34, 20, 14, 6, 16 = Albanum nomen; postuma proles Aeneae. 2, 7, 18, 11, 24, 44, 33, 9, 41 = rex Romanus, quem caeca libido Ausoniis terris expulit. 4, 12, 25, 26, 29 = alio nomine: Tellus dea. 38, 22, 23, 31, 47, 30, 6, 1 = fluvius vagus Umbriae. 17, 15, 55, 36. 40, 45 = qualis nemo ante mortem est. 13, 19, 46, 21, 51 = hoc est: oportet. 43, 45, 34, 56, 54, 6, 1 = oppidum Ioniae, ubi Thales natus est. 32, 49, 34, 53, 13, 12, 50 = Danae puellae, scelestae sorores. 1, 35, 43, 27, 34, 37 = Bacchi mater. 52, 3, 18, 47, 5 = cognomen Romanum. 39, 10, 1, 2, 42, 18, 24, 3 = oppidum Etruriae, ubi Catilina cecidit.

III.

Vocabula, quae sequuntur, explenda sunt litteris. Hae litterae dextrorsum lectae *nomen reddunt imperatoris Romani*, quo praeside rerum superi — sicut apud Ovidium scriptum legimus — «generi humano abunde faverunt».

—rator, —ter, —estit, —ncus, —olvit, —er, —vidus, —ibi.

Marianna Renner

disc. V. cl. thyagatrogymnasii
Budapestinensis VIII-ae regionis
de Sancto Corde.

Solutiones aenigmatum numeri III.

I. Aqua, caput, canon, tam, mus, lacus, sic. — *Proverbium*: *Aquila non captat muscas.* — II. 1—2 = urna; 1—3 = urso; 2—3 = Naso; 2—4 = natu; 4—5 = tura; 3—5 = Sora; 5—7 = raro; 4—6 = tuba; 6—7 = baro; 7—8 = rosa; 6—8 = baca; 8—9 = casa; 8—10 = cano; 9—10 = sano.

Aenigmata recte dissolverunt: *Paulus Drótos* (Miskolc), *Paulus László* (Budapest), *Adalbertus Svéda*, *Franc. Bukszár* (Miskolc), *Arist. Turopoli* (Kalocsa), *Geyza Kiss* (Győr), *Col. Nagy* (Jászberény), *Ios. Majoros* (Újpest), *Zolt. Horváth* (Dombóvár), *Marianna Renner*, *Georgia Szilvássy*, *Iud. Nobek*, *Maria Schuster* (Budapest), *Rud. Orbán* (Pécs), *Rud. Kancz* (Szombathely), *Victoria Szabad*, *Iud. Kosáry*, *Elis. Bógyi* (Budapest), *Steph. Lukács* (Miskolc).

Praemium Mariae Schuster, *Adalberto Svéda* et *Rudolpho Kancz* sorte obvenit.

Epistolia Officialia.

Paulus Drótos: E iocosis tuis unum alterumve prodibit. — *Marianna Renner*: Litterulae tuae maximo me affecerunt gaudio. — Aenigmata rectissime dissolvisti, quod autem ipsa misisti, curabo, ut quam primum his paginis inseratur. — Gaudeo, quod tu et amicae tuae «*Iuventutem*» libenter legitis. Vale et mitte alias quoque epistolia. — I. *Jeney*: Tuum maesto animo seponere cogebam, quia affatim habebam opusculorum, nativitatem Christi pertractantium. Data occasione cum lectoribus communicabitur. — *Rud. Kancz* (Szombathely): Aenigma tuum in aliquo proximo numero prodibit. — *J. H.* (Salzburgum): Quam vellem tuum, tam lepidum et iocosum, simul communicare cum lectoribus nostris! Sed spatii angustiis prohibeor. quominus hoc faciam. — *V. Fehér*: Gratias, Vir Honoratissime, pro opusculis tuis.

Lectoribus nostris precamur, ut festa feriasque laeti peragant.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedioscholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségen.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)